# De Admeto et Alcestide.

Reputanti mihi mecum ac quaerenti, quid potissimum hac scribendi occasione oblata tractandum sumerem, haud alienum videbatur, quae olim de Admeti et Alcestidis fabula interpretatus essem (Jahrb. f. Phil. 1856. p. 240), qua in interpretatione identidem cum animi quadam delectatione versatus sum, eadem novis studiis amplificata gravioribusque causis confirmata in medium proferre, id quod eo majore jure facere posse mihi videbar, quod illius interpretationis a Prellero mentionem factam esse cognoveram*). Cf. Pauly, Real-Encycl. I, p. 661.

Omnium enim fabularum, quas Apollodorus Atheniensis in bibliotheca memoriae prodidit, nulla fere est praestantior quam illa, quae de Admeto et Alcestide est tradita, quae quum dulcedine quadam atque suavitate rerum narratarum aliis excellit, tum illecebris occultae sententiae atque notionis indagandae adeo animos legentium delectat, ut vix ulla reperiatur, quae nos majore vi ad se alliciat. Ac quoniam nobis proposuimus, ut, quae sit fabulae hujus venustissimae vis, explicemus, optimum factu videtur, quae singula non solum apud Apollodorum, verum etiam apud alios scriptores diversis locis afferuntur, ea hoc loco, quo facilius sub conspectum cadant, conferre atque collocare universa.

Aesculapius, Apollinis filius, quum mira qua florebat medendi arte mortuos ab inferis revocaret, ita ut, ne Plutonis regnum incolis nudatum vacuefieret (Diod. IV, 71), periculum esset, a Jove fulmine ictus periit; Apollo autem, filii mortem aegerrime ferens, Cyclopibus,

---

*) In libri qui inscribitur „Griechische Mythologie“ editione altera, quae tamen mihi praesto non est. Ceterum haec commentatio, in qua locos hujus libri primam editionem secutus laudaveram, jam scripta erat, quum tertiae editionis pars prior emissa est, quapropter hujus quoque paginas addidi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

qui Jovi fulmina parabant, vel, ut alii volunt, Cyclopum filiis interfectis occisi Aesculapii poenas a Jove repetiit (Apoll. III, 10, 4; Eurip. Alcest. v. 5; Pherecyd. apud Sturz, p. 82 edit. alter.). Cujus caedis ut poenas solveret, Apollo apud mortalem hominem, Admetum, regem Pherarum, quae erat Thessaliae urbs, per totum annum atque integrum, qui annus apud Clement. Alex. Strom. I, p. 323 dicitur μέγας ἐνιαυτός, servi munere fungi a Jove coactus est, (Apoll. I, 9, 15.) Nec vero desunt posterioris aetatis poetae, qui Apollinem amore Admeti commotum sua sponte ei servi officia praestitisse tradunt, ut est apud Callimachum (Hymn. in Apoll. v. 49), apud Ovidium (Her. V, 151), Tibullum (II, 3, 11). Quo tempore Apollo Jovis jussu in servitium traditus est, accidit, ut Admetus Alcestin, virginem pulchritudine insignem, conjugem peteret, sed quum Pelias, Jolci rex, ut procorum turbam amoveret, filiam ea tantum condicione in matrimonium se daturum esse affirmasset, ut procus leonem atque aprum currui adjungeret, quumque Admetus id per se efficere se posse desperasset, Apollo dominum in petenda uxore mirum in modum adjuvit, siquidem quod ille facere debuit, pro eo suscepit bestiisque currui adjunctis conjugem ei conciliavit (Apoll. I, 9, 14; Hygin. F. 51). At Alcestis in nuptiis parandis Dianae atque Parcis (ταῖς Μοίραις) sacra offerre oblita cubiculum nuptiale serpentibus convolutis repletum invenit, quo portento quum vehementer esset perterrita, idem Apollo interpretem sese interposuit effecitque, ut gregum, quos Admetus habebat, fecunditas mirifice augeretur (Apoll. III, 10, 4; Hygin. F. 50 et 51*)). Accedit, quod Apollo, quum Admetus in intimam dei amicitiam pervenisset, a Parcis veniam petiit, ut, quum moriendi necessitas Admeto admota esset, ipse morte liberaretur, si quis alius, sive pater, sive mater, sive uxor pro eo ad inferos descendere auderet (Aeschyl. Eumen. v. 723 ed. Teubner). Jam vero exacto vitae spatio quum neque pater neque mater moriendi vice fungi voluissent, Alcestis, omnium conjugum fidissima, in mariti locum succedere animum induxit atque ad inferos descendit; Proserpina autem, spreta vicaria fide, Alcestin rejecit rejectamque ad superos remisit (Hygin. F. 251). Alii Herculem certamine cum Plutone (Ἀιδῇ) inito Alcestin inferis ereptam in lucem reduxisse volunt (Apoll. I, 9, 15; II, 6, 2). Homerus quoque Admetum ejusque uxorem Alcestin (Il. II, 713—715), quam divam mulierem esse praedicat, commemorat, eorumque filius Eumelus equos ab Apolline ipso in regione Pheraea pastos regit (Il. II, 763—766), ceterum, hujus fabulae mentionem non facit.

Quum Alestis propter animi pietatem jam antiquis temporibus summis celebraretur laudibus, ita ut Aelianus eam in numerum clarissimarum mulierum retulerit (V. H. XIV, 45), mirum videri non potest, etiam veteres, quid tandem fabula sibi vellet, diligentius

---

*) Ad hunc locum Muncker ex Fulgentii Mythol. I. addit: „Admetus Apollinem atque Herculem petiit, qui ei ad currum leonem et aprum junxerunt," itemque Hercules quoque, id quod ad fabulam interpretandam videtur conferre, apud Clement. Alex. Strom. l. l. ita appellatur, ut in servitio Admeti fuisse perhibeatur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quaesivisse. Ac primum quidem Palaephatus (de incredib. c. 41) historiae viam ingressus rem ita interpretatur, ut fabulam ad simplicem narrationem redigat,*) Plutarchus autem (Amat. 18) naturam atque rationem in explicando secutus Herculem artis medicinae peritissimum fuisse ab eoque Alcestin, exitiabili morbo correptam, sanatam esse dicit. Similem rationem Boettigerus amplexus totam fabulam allegoriam esse vult atque singula ita interpretatur, ut leonem et aprum currui adjunctos ad insignem sponsi sponsaeque fortitudinem, serpentium glomus ad nuptias inseparabiles, denique vicariam Alcestidis mortem ad morbum Admeti referat, quo Alcestis et ipsa correpta diem obit supremum; sed ejus mors nihil est nisi species mortis, et Hercules, quem Boettigerus quoque medicum facit, eam in vitam revocat (cf. Neuer Teutscher Merkur, 1792, St. 2, p. 113—130, „Alceste mehr Wahrheit als Fabel".) Herrmannus denique (Mythol. d. Griechen, II, p. 275—278) omnia ad fastos referre studet et Admetum fastorum Graecorum observantissimum fuisse vult, qui omnibus diis praeter Dianam die suo nuptiali sacra ferens et initium et exitum anni celebraret. Cf. Nitsch, mythol. Woerterbuch, I, p. 127. Sed hae omnes hujus fabulae explicationes, quum sint nimis fictae atque coactae, adeo difficultatibus laborant, ut eas refellere opus non sit, praesertim quum universa fabularum Graecarum interpretationis condicio nostra aetate ea sit, ut, explosa eorum ratione, qui omnes fabulas aut narrationes aut allegorias esse volunt, non sit verendum, ne quis hodie in falsas illas opiniones rejiciatur.

Missis igitur his explicationibus reliquum est, ut diligentius in eam interpretationem inquiramus, quam C. O. Muellerus (Dor. I. p. 320 sqq., Prolegg. p. 300 sqq.) in medium protulit. Ac primum illud quod Jupiter Aesculapium, Apollo Cyclopes necasse dicuntur, a fabula ipsa alienum esse censet, siquidem Aesculapium ejusque fabulas ad alias regiones pertinere atque in Apollinis fabulas illatas esse docet (Dor. I, p. 283). His rebus a fabula sejunctis Muellerus eo procedit, ut servitium dei ab occiso Pythone repetat, quod quum pro vero exploratoque habeat, ad sacra piacularia devenit, quae Delphis nono quoque anno in memoriam caesi Pythonis atque piaculi ab Apolline hoc nomine suscepti ita celebrabantur, ut puer quidam certamen dei cum Pythone repraesentaret suique expiandi causa sacram viam ingressus Tempe se conferret, ubi scelere purgaretur. Jam vero Muellerus sacram viam vel per ipsas Pheras tulisse vel Pheras certe praeterisse atque Pheris fortasse eam peregrinationis partem obtigisse suspicatur, quae Apollinis servitium imitando redderet. Sic

---

*) Palaephati sententiae summa haec est: Pelia a filiabus occiso, Alcestis, sceleris expers, quum Acastus, Peliae filius, sorores persequeretur, ad Admetum consobrinum confugit. Admetus autem, quum Acastus ejus urbem oppugnaret, vivus in ejus manus incidit. Tum vero Alcestis rata, sua causa Admetum ad mortem duci, se ipsa sua sponte Acasto obtulit, qua retenta Admetus ab Acasto dimissus est. Postea vero Hercules, Diomedis equos prae se agens, eo delatus et cum Acasto congressus eam servitute liberat. Quae narratio quam misere conficta sit, nemo est qui non videat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vir doctissimus fabulam „Pheraeam“ cum Delphis arctissimis vinculis cohaerere jubet, ita ut sententia ejus sit: „Apollo, deus lucis, propter caedem Pythonis commissam piaculari legi obnoxius exilio atque servitio sceleris poenas luit, ut amissam lucis integritatem, siquidem est φοῖβος, ἁγνός, recipiat.“ Pheris deum servitium perpessum esse docet, propterea quod ibi sedes deorum inferorum (τῶν χθονίων θεῶν), imprimis Dianae Pheraeae sive Hecates esse perhibebatur, quae Alcestidis cubiculum serpentibus implevisse dicebatur. Admetum perpetuum Plutonis (Ἅιδου) cognomen esse monet ejusque matrem Clymenen (Periclymenen) Proserpinam quandam (Περσεφόνην) facit, ita ut Alcestis ex inferis excitataad cultum deorum inferorum spectare videatur. Haec est summa sententiae, quam Muellerus in fabula inesse vult, quaeque a Prellero recepta est (Gr. Mythol. I. p. 179, p. 228 edit. III. II. p. 213).

Jam vero ut ad Muelleri sententiam refellendam accedamus, primum illud quod Apollinem propter caesum Pythonem ad servitium redactum esse vult, a solo opinionis ejus arbitrio pendet neque ullo veterum scriptorum testimonio confirmatur, immo vero tantum abest, ut caedes Cyclopum pro re fortuita vel a fabulae argumento aliena habenda sit, ut omnibus locis illud scelus in causa esse putetur, cur Apollo poenas luat, id quod cogitationi atque opinioni Graecorumadeo inhaerebat, ut etiam in Euripidis tragoediam transiret (Alcest. v. 6) atque, ubi Cyclopes non ipsi nominantur, certe eorum filii substituerentur, quo magis mirum videtur, quod Prellerus (I, p. 179), quum Muellerum secutus Pythonis caedem causam poenae esse existimet, uno loco necem Cyclopum hoc nomine afferri dicit. Sequitur illud quod Muellerus Aesculapium atque fabulas quae cum hoc cohaerent ad alias regiones pertinere statuit, cui quidem sententiae Prellerus ipse adversatur (II. p. 213), quum Apollinem amore Coronidis incensum atque Aesculapium Pheris natum in omnium ore fuisse affirmet. Ac profecto, dummodo, quae in Aesculapio ejusque fabulis naturae vis sit, recte perspiciamus, notionem atque efficacitatem hujus dei non tam arctis vinculis circumscriptam esse apparet, quam Pherecydes, qui Aesculapium Delphis mortuos in vitam revocasse tradit, videtur existimare. Reputantibus nobis, quanta fuerit oraculi Delphici auctoritas atque amplitudo, mirum videri non potest, oraculi demum celebritate factum esse, ut, ubi Apollinem patrem praesentem colebant, ibi et ipsum filium Aesculapium efficacem fuisse traderent. Itaque quum res ita comparata sit, ut, quae de Apollinis servitio quaeque de deo Delphico traduntur, nullo modo inter se cohaereant, totam Muelleri interpretationem concidere necesse est. Age vero, quid illud sibi vult, quod Admeto, quem Muellerus Plutonem (Ἅιδην) esse jubet, moriendum est, ejus autem uxor, quae sic in Proserpinae (Κόρης, Περσεφόνης) locum abit, has partes suscipit illa quidem, sed a Proserpina in lucem remittitur? Quae de vicaria Alcestidis morte, de leone atque apro currui adjungendis traduntur, ea non pro orationis ornamentis habenda sunt, quae quasi extrinsecus petita in fabula interpretanda, id quod Muellerus fecit, omitti aut negligi possint, sed tanta necessitate cum ipsa fabula cohaerent, ut ab ea divelli atque dissolvi nequeant. Sed vir doctissimus in opinio-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nis errorem ideo videtur inductus esse, quod in Apolline nullam nisi lucendi atque expiandi naturam inesse persuasum habebat, quam quum tanta pertinacia teneret, ut solare ejus numen eum prorsus fugeret, secus fieri non potuit, quin ad fabulae significationem, quae aeternis legibus culpae et poenae atque expiationis continetur, deveniret. Ac sane quidem constat, in rebus Dorum, qui omnia ad morum severitatem atque disciplinam referre solebant, dei notionem atque naturam, a Muellero tanta doctrina defensam, plurimum valuisse.

His rebus praemissis, priusquam, quid ipsi de fabulae hujus vi atque notione sentiamus, explicemus, siquidem singula quaeque ab universa ratione pendent, quo loco omnino in fabulis Graecorum interpretandis collocati atque constituti simus, breviter exponere a re non abhorrebit.

Fabulas, nationibus originis indogermanicae quae dicitur communes, principio in rerum naturae contemplatione positas esse quaestionibus illorum virorum, qui non solum graecam linguam atque latinam, sed omnes hujus generis linguas inter se compararunt, adeo comprobatum est, ut plura de ea re disserere opus non sit. Docent enim illi, qui carminum Indicorum studio insignem operam dederunt, omnibus nationibus, quae hujus sunt originis, easdem deorum opiniones insitas atque innatas esse easque ab antiquissimis temporibus, quibus eodem omnes necessitudinis vinculo continebantur, esse repetendas. Atque initio quidem ea, quae in coelo fieri videbant, animos illorum hominum, quibus intima cum rerum natura familiaritas intercedebat, dici non potest quantopere attenderint, ita ut fulminibus, tonitribus, tempestatibus, turbinibus, imbribus, arcu coelesti quaeque sunt similia, vehementissime commoverentur. Postea autem illi, qui primum demum quasi humanitatis curriculum ingressi erant, eo processerunt, ut, quum ea quoque, qnae et quotidie et quotannis in natura, imprimis in coelo fieri videbant, contemplatione complecterentur, corpora coelestia, solem, lunam, stellas eorumque et diurnos et anniversarios motus, quaeque ratio quum inter solem et lunam tum inter hos et terram intercederet, observatione comprehenderent. Sic intelligitur, fundamenta fabularum, quandoquidem eaedem semper rerum perceptiones atque opiniones repetitae redeunt, esse simplicissima. Sed prima illa fabularum conformationis aetas et quasi infantia non in eo acquievit, ut corpora coelestia quaeque in coelo fiunt contemplaretur, sed ea animis esse praedita suaque vita frui existimabat. Quid, quod nubes, quibus tonitrua exprimuntur, animatas atque in certamine inter se congressas homines putabant? Secuta est altera fabularum aetas, quae ita erat comparata, ut, quae antea vi vitali instructa cogitabantur, jam certas vel hominum vel bestiarum formas induerent, quemadmodum, ut exemplo utamur, qui miles esset, in nubibus tonantibus certamen gigantum cum tubarum sonitu animadvertere, contra qui pastor, vaccarum mugitum audire sibi videbatur.

Sed exacto illo fabularum conformationis cursu, qui in certis vel hominum vel bestiarum formis, quae ostentis coelestibus tribuebantur, cernitur, secuta est tertia aetas, quae erat ejusmodi, ut, quae mente ac cogitatione recepta esset rerum opinio, ea ab ipsis rebus,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

unde depromta erat, sejuncta pro re suo tempore vere facta haberetur. Quae antea quasi vaga incertaque fluctuabat opinio, ea jam historiae atque narrationis induit speciem. Quo factum est, ut, si exemplo uti nobis liceat, olim certamen inter deum nubium atque draconem fulminum fuisse putaretur, quae narratio plus minusve exornata ita ad posteritatem delata est, ut vel certis locis regionibusque adscriberetur. Sic qui antea iidem fuerant dii, diversi esse, quaeque artes atque virtutes vel cognomina deorum fuerant, per se dii esse atque deorum personas gerere coeperunt. Reliquum erat, ut similes in rerum natura eventus comparando ita inter se conferrentur, ut, certa causarum, quarum altera ab altera penderet, ratio inter eos constitueretur, quo facto, universa fabularum comprehensio atque complexio omnibus numeris ac partibus absoluta pro deorum heroumque historia haberi est coepta. Tantum enim abest, ut heroes ab initio fuerint viri illi immensis corporum viribus, quae humanum modum excederent, praediti, quales in carminibus epicis nobis occurrunt, ut in numero numinum divinorum habendi sint, quae, ex antiquissimis hominum de diis opinionibus repetenda et certis locis regionibusque atque gentibus adscripta, deorum Olympicorum fama percrebescente*) divina majestate quasi exuta, ad inferiorem ordinem illorum hominum venerunt, qui aut beneficiis de genere humano bene meruisse, aut regum stirpes condidisse putabantur. Ceterum de fabularum conformationis aetatibus, quae res ad hanc quoque quaestionem pertinet, conferatur „Schwartz, der Ursprung der Mythologie. Dargelegt an griechischer und deutscher Sage. Berlin 1860;“ imprimis quod praemissum est libri caput: „Vom heidnischen Volksglauben in seiner Anlehnung an die Natur, p. 1—25.“ Cf. Landsteiner, Reste des Heidenglaubens in Sagen und Gebräuchen des niederösterreichischen Volkes. Krems 1869, p. 3—7, quique Kuhnii, Manhardtii, aliorum libri ibi laudantur.

Quum ex iis quae de fabularum compositione monuimus appareat, contemplatione solis ejusque motuum omniumque rerum, quae in coelo fiunt, non solum mentem antiquissimorum hominum, sed etiam multo magis facultatem animo fingendi magnopere commotam fuisse, sequitur, ut vicissim in fabulis recte explicandis non solum cogitandi, verum etiam fingendi vi utendum sit, quarum utraque per se egens altera alterius auxilium videtur flagitare.

Hac quam in fabulis interpretandis sequimur ratione exposita, inde ordiamur, ut Apollinem principio numen solare esse statuamus, quae significatio jam majorem quam antea auctoritatem sibi videtur comparasse, qui deus etsi apud Homerum ab Helio separatur, tamen etiam apud hunc poetam non desunt vestigia, quae ad vim ejus solarem spectent, id quod epitheta ἑκατήβολος, ἕκατος, ἑκάεργος, satis testantur. (Cf. Welcker, griech. Goetterlehre I., p. 457; Preller I., p. 151, p. 181; Hermann, gottesdienstliche Alterth. §. 5, 4, Fresenius de Apollinis numine solari, Marburg. 1840; Gerhard, griech. Mythol. I. §. 308, n. 2.

---

*) Οὗτοι (Ἡσίοδος καὶ Ὅμηρος) δέ εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες κ. τ. λ. Herod. II, 53.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et qui ibi libri laudantur; Max. Mueller, Essays. tom. II, Beitraege zur vergleichenden Mythologie u. Ethologie, Leipzig 1869, p. 141.) Ac de nomine quidem Apollinis quoniam ab iis qui linguas indogermanicas inter se compararunt nihil adhuc quod omnibus probetur, ut ait M. Muellerus (l. l. p. 141), inventum est, liceat mihi meam qualemcunque ea de re sententiam in medium proferre, quae quamquam arctioribus graecae linguae finibus circumscribitur, certe nihil quo sibi ipsa contradicat videtur habere. Atque antiquissima nominis forma est Ἀπέλλων (Preller I, p. 152 not., p. 189), in qua ἀ praefixum est, ut in Ἄτλας (τλάω); πέλλω autem, praeter quod verbum πέλω exstat et Latinorum pello (Doederlein, lat. Syn. u. Etym. VI, p. 261), idem est quod πάλλω, quae est durior forma verbi βάλλω (Etym. M. 649, 50), praeter quod βέλω exstat, unde βέλος ducitur, et βέλλω (Doederlein, hom. Gloss. I. p. 203; Etym. M. p. 195, 9; 20; 613, 3). His variis formis ejusdem stirpis in nomine Apollinis non solum notio dei explicatur qui luminis radios emittit atque vibrat, sed etiam ejus qui se vertit (vertitur) et circumagitur. Pariter Cretensium nomen Ἀβέλιος et Spartanorum Βέλα (Thes. Stephan. s. v. Hesych. s. v.) eo referri possunt. (Cf. Bal)*)

Concesso autem Apollinis numine solari in hac quaestione ita progrediamur, ut a cognitis fabulae personis orsi ignotas explicemus. Jam vero omnium personarum quae in hac fabula sunt notissimam esse Herculis constat. Quamvis enim diversi sint inter se quibus hoc nomen datur heroes, tamen eam notionem communem habent, quae ad solis significationem redeat (Preller, II, p. 103 sqq.). Quae vis eo majore jure Herculi tribuitur, si usitatam perceptamque illam cognitionem sequimur, qua gentes orientem versus sitae, maxime Phoenices, eum ad deum solarem verni temporis referre solebant. Sic habemus solem illum invictum, qui hieme exacta quotannis eclipticam viam ascendit, quo quidem nomen ejus Adamanus pertinet (Creuzer, Symbol. II, p. 209, 210). Quam vero vim Phoenicum opiniones ad Graecorum res divinas habuerint, quum ex opportuno Cretae insulae situ, quae quasi ad Phoenicum cultus deorum ad Graecos traducendos media interposita videtur, tum ex multis fabulis, imprimis Thesei, apparet. (Preller II, p. 77 sqq. Gerhard, I, §. 53.). Cum hac Herculis significatione consentiunt, et quae apud Kuhnium legimus,**) et quae Max. Muellerus (Essays. I. p. 210—211, II, p. 79) de eo docuit.

*) Rejecta vetustiore sententia, quae Apollinis nomen a verbo ἀπόλλυμι ducit, recentiores a verbo ἀπέλλειν ducere malunt, ut sit Apollo deus averruncus, ἀλεξίκακος, qui omnia mala atque adversa avertit. Sed etsi Hesychius et Etym. M. (120, 52) hoc verbum habent, tamen verbum potius a nomine, quam nomen a verbo ductum dixerim, nam in principali deorum significatione non qui deus non sit aut quid prohibeat, sed qui sit quidque efficiat, quaerendum est. Averruncandi vis tum demum orta est, quum Dorum opiniones apud Graecos superiores factae sunt. Vetustissimae significationes semper a rerum natura repetendae sunt.

**) „Der griechische Ἡρακλῆς ist von uns gedeutet worden, als „Heldenruhm habend", oder als „Ruhm habend, glänzend wie die Sonne." Kuhn, Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung, Bd. I, p. 156. — „Ἡράκλεϝες, indogerm. Vasrákravas würde hiernach heissen Stieres-, Tages-, Frühlings-Herrlichkeit habend." Kuhn, l. l. Bd. X, p. 366. — Tauri autem imago imprimis apud Cretenses ad solem spectabat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

His rebus expositis, quum in hac quaestione eo pervenerimus, ut, quid in Apollinis fabulis illud sibi velit, quod Jupiter Aesculapium, Apollo autem, quae quidem hujus caedis ultio fuisse perhibetur, Cyclopes necasse traditur, quaeramus, proximum est, ut de nomine Aesculapii disseramus. Omissa Welckeri interpretatione, qui nomen ad vocabulum ἀσκάλαβον, lacertam, referre animum induxit, quod etiam serpentis significationem habuisse fingit (l. l. II, p. 735 sqq.), compositionem duarum vocum in hoc nomine inesse nonnullis placuit. Atque posterior ejus pars dubium non est, quin cum vocabulis ἤπιος, ἠπιάω, ἠπιόω, ἠπήσασθαι conjungi possit, quibuscum nomen uxoris dei quae erat Ἠπιόνη, et quae a viris linguae sanscritae peritis monentur, consentiunt.*) Ut de priore parte dicam, liceat, meam explicationem proferre, cui neque verborum rationem neque significationem adversari persuasum habeo. Ducendum est nomen a verbo σκέλλω, sicco, exsicco, interposita metathesi ac producta litera ε, id quod in adjectivo σκληρός factum videmus, quo in nomine utrum ἀ pro euphonico an pro intensivo habeatur, parum refert, modo ne privativum esse velimus. Sic Ἀσκλήπιος est deus qui aërem exsiccat vaporibusque nocentibus expurgat, ita ut humana quoque corpora, succis atque humoribus supervacaneis liberata, commodiore valetudine gaudeant, quandoquidem corporis siccitas etiam apud Romanos bonae valetudinis indicium habebatur. (Cf. Plaut. Mil. glor. III, 1, 192 (173); Cic. Tus. V, 34, 99; Cat. Maj. 10, sub fin., omnino Freundii lex. s.v.) Jam si quis cum priore nominis parte, quae est Ἀσκλ, Ἀσκλη,

---

*) „Im Sanskrit heist yâpana das Mildern des Schmerzes, das Lindern der Krankheit. Yâpana bedeutet eigentlich Austreibung und gehört zur Wurzel yâ, ire, in der Causalform yâp (yâpayati) facere ut abeat, expellere. Zu diesem yâp stimmt sehr schön das griechische ἰάπτω, mittere, noch besser aber, dem Sinne nach, ἠπιάω, ἠπιόω, besaenftigen, mildern (genau yapay'ami), ἠπήσασθαι, heilen, ausbessern. Von Heilmitteln besonders wird ἤπιος, mild, besaenftigend, gebraucht (s. ἤπια φάρμακα bei Homer (Il. IV. 218; XI. 830) und das Heilmittel selbst heisst ἠπίαμα. Diese Ausdrücke sind gewiss uralt, da sich die Namen des göttlichen Arztes Ἀσκληπιὸς und seiner Gemahlin Ἠπιόνη daran reihen. Ueber die Bedeutung von ἀσκλ ist man noch im Dunkeln, wenn man nicht die Sage von einem König Ἄσκλης in Epidaurus gelten lassen will, von welchem der göttliche Arzt, nach glücklicher Heilung eines Augenübels, den Namen Ἀσκλήπιος erhalten hatte, da er zuvor nur ἤπιος hiess. Die wahrscheinlichste Auslegung scheint mir, die von ἀσκέω, besorgen, mit Sorgfalt bereiten u. s. w., öfters bei Homer, wodurch Ἀσκλήπιος der Besorger der Heilmittel wird, was sehr gut passt. Das eingefügte λ bleibt jedoch dabei unerklärt.“ Kuhn, l. l. Bd. V. p. 42. — „Dunkel in seinem (des Namens) Vordergliede, unterliegt doch dessen Beziehung zu den ἤπια φάρμακα u. s. w. kaum einem Zweifel. So heisst Ἠπιόνη die Gattin des Ἀσκληπιὸς auch dor. Ἀσκλαπίος, woher das lange a in der Gestalt, welche das aus dem Griechischen entlehnte Wort im Latein. zeigt. Ahrens Dor. p. 138. Schon Demosthenes (Plut. vita Dem. p. 261 H.) hatte ἤπιος in dem Worte richtig erkannt; allein welches Recht ihm dieser Umstand geben konnte, desshalb Ἀσκλήπιος sprechen zu wollen, sehe ich nicht ein. Freilich ist der Accent auf der letzten Silbe etwas seltsam. Auch hiess Asklepios bei den Lacedämoniern zufolge Hesychius Ἀγλαόπης d. h. doch wohl „heiterblickend.“ Ferner vergl. man ἠπιόχειρ (mit lindernder Hand), Beiname des Apoll als Heilgottes.“ Pott apud Kuhn, l. l. Bd. VI. p. 401.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

adjectivum ἤπιος componere volet, poterit id facere ille quidem, ita ut vis sit dei, qui siccando morbum et dolores lenit, sed opus non erit, siquidem πιος etiam pro mera terminatione haberi potest, id quod vel accentus ultimae syllabae videtur suadere.*)

Aesculapius igitur nihil aliud significat nisi vim salutarem, quae in aëre puro salubrique inest, qualis opportuno anni tempore montibus circumfusus est, unde frigidi fontes defluunt (Preller, I, p. 231, p. 321.). Hujusmodi regionibus variae de ejus origine locoque natali fabulae adhaerent, quae minime unius ejusdemque regionis propriae habendae sunt (Jacobi, Handwoerterbuch der gr. roem. Myth. s. v. I. p. 144—145). Quapropter mirum videri non potest, Aesculapii fabulam apud Pheraeos quoque receptam fuisse. Eorum enim oppidum, in planitie Pelasgica quum maxime inter meridiem atque orientem situm, prope Pelionem montem, ad quem humiliores Othryos saltus accedunt, a tergo montes habet, sed satis modicos, ita ut magna Thessaliae planities hoc loco aditum ad mare minus molestum sibi patefaciat. Medio in oppido erat Hyperaea, fons clarissimus, haud procul aberat Boebeis lacus (Mannert, Geographie der Griech. u. Roemer, VII, p. 586). Sic omnia in hanc regionem cadunt, quae eam idoneam, qua natus sit Aesculapius, sedem faciant, in qua ejus mater Coronis et ipsa domicilium habuisse traditur.

Jam si hic, qui est aëris vis salutaris, a Jove occiditur, rem ad Jovem quippe deum tempestatum pertinere apparet. Js enim aëris salubritatem fervidiore aëre atque calore tollit, qui, priusquam conflictu nubium ardor expressus se emittat atque fulmina existant, praecedere solet. Quae quidem ubi exoriuntur, Cyclopes rem gerere putantur, haud dubie obscurae illae quae per coelum volvuntur (κυκλόω) nubes tempestatum, quarum lux, quum longe alia atque aetheria et quasi ex inferis orta videretur, e Vulcani officina repetebatur. Cyclopes esse fulminum nubes, ex nominibus eorum elucet (Βρόντης, Στερόπης, Ἄργης; Preller l. l. I. p. 40, p. 42; Pherecyd. l. l.). Sed Solis radii victores prodeunt nubesque dissolvunt, quod in fabulis ita declaratur, ut Apollo Cyclopes necasse dicatur. Cui interpretationi clarissimam lucem affert locus apud Eratosthenem,**) ubi Apollo sagittam, qua Cyclopes Jovi fulmina fabricatos propter caesum Aesculapium interfecerat, apud Hyperboreos occultasse, reportasse autem illam traditur μετὰ τῆς καρποφόρου Δήμητρος διὰ τοῦ ἀέρος.

---

*) De verbo σκέλλειν jam Panofka cogitavit, nixus loco Aeschyli (Prom. 480—481) ἀλλὰ φαρμάκων χρείᾳ κατεσκέλλοντο, et Aesculapium ἀσκελῆ esse vult, oppositum τῷ σκελετῷ. (Cf. Kuhn, l. l. tom. VI, p. 401.) Sed hic ἀ in ἀσκελής pro alpha privativo habet, id quod reliquis hujus adjectivi significationibus repugnat.

**) Cataster. s. v. Τόξον. Τοῦτο τὸ βέλος ἐστὶ τοξικόν, ὅ φασιν εἶναι Ἀπόλλωνος, ὅτε δὴ τοὺς Κύκλωπας τῷ Διὶ κεραυνὸν ἐργασαμένους ἀπέκτεινε δι' Ἀσκληπόν. ἔκρυψε δὲ αὐτὸ ἐν Ὑπερβορείοις, οὗ καὶ ὁ ναὸς ὁ πτέρινος. Λέγεται δὲ πρότερον ἀπενηνέχθαι, ὅτε τοῦ φόνου αὐτὸν ὁ Ζεὺς ἀπέλυσε καὶ ἐπαύσατο τῆς παρὰ Ἀδμήτῳ λατρείας, περὶ ἧς λέγει Εὐριπίδης ἐν τῇ Ἀλκήστιδι, δοκεῖ δὲ τότε ἀνακομισθῆναι ὁ ὀϊστὸς μετὰ τῆς καρποφόρου Δήμητρος διὰ τοῦ ἀέρος, ἣν δὲ ὑπερμεγέθης. Schwartz. l. l. p. 127—128.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hyperboreos enim ad hiemem spectare constat (Welcker, l. l. II., p. 362), apud quos quum sagittam radios significantem condidisse dicatur, solis calorem hiemis tempore minui, redeunte vere denuo crescere ideoque fulmina hieme cessare, vere parari indicatur, ut est apud Horatium (carm. I, 4, 7) veris adventum canentem:

— — — dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas,

ubi Schol.: „Jam appropinquat tempus aestivum, eo enim imminente Vulcanus procudit fulmina Jovi, quae in aestate mittat.“ Quae quum ita sint, caede Aesculapii atque Cyclopum processum in rerum natura significari nemo non intelligit.

Quo loco absoluto jam eo progressi esse nobis videmur, ut, qui tandem sit Admetus, facile divinari possit. Js profecto Apollo ipse est, nec tam, qui universe Solem, quam qui invictum Solem aestivum significet, qui post tempestates ἄδμητον se declarat. Est enim, ut supra monuimus, veterum fabularum proprium, vires, artes virtutesque dei cujusquam ita quasi sui juris facere, ut ab ipso diremtae per se personae speciem gerant. Atque Apollinem-Admetum eandem esse naturam, e loco Pausaniae (III, 18, 9) facile colligitur, qui in throno Apollinis Amyclaei (Nitsch, l. l. I. p. 187) non Apollinem, sed Admetum leonem et aprum currui adjungere dicit. Quum autem Apollodorus atque Hyginus Apollinem hoc labore functos esse tradant, intelligi non posset, quomodo is qui opus illud artificiossimum fecit, pro eo Admetum substituisset, nisi in mente atque cogitatione eorum, qui cum antiquissimis deorum opinionibus majorem habebant familiaritatem, Apollo et Admetus in unam quasi naturam coaluissent. Jam vero quaerentibus nobis, quid sibi velit, quod Apolline pastoris munere apud Admetum fungente hujus greges augeri dicuntur, fertilitatem pratorum ea re significari apparet, siquidem res pecuaria imprimis solis beneficio crescit. Ac sane quidem si illi qui initio rerum in omni natura numina divina animadvertere sibi videbantur, eos deos, qui eundem ordinem tenebant, matrimonii vel fratris et sororis imagine, qua conjuncti essent, eos autem, quorum alter ab altero penderet, ita menti proponere solebant, ut alter ab altero originem traheret: nihil profecto facilius magisque rationi consentaneum videtur, quam vires divinas ab ipso deo sejunctas atque in certae rei usum collocatas servitii imagine declarari. Nec vero in hac Admeti tantum fabula Apollo servitium suscipit, idem apud Homerum cum Neptuno Laomedonti annuum servitium praestitisse narratur (Jl. XXI, 436 sqq.), ut ejus greges pasceret et Trojae urbis moenia conderet (Apoll. II, 5' 9). Num quis huic quoque fabulae, in qua nihil est de culpa traditum, draconem Pythicum obtrudet? Sed quid faciet Neptuno, cujus in servitium illud remedium prorsus non cadit? Hoc quoque loco vis quam sol in agriculturam exercet, quae est fundamentum urbium condendarum, sub specie servitii cogitatur. Mittamus igitur in rebus naturalibus notiones morales culpae, poenae, expiationis, quas in tragoediis doceri legimus, quaeque posteriore demum aetate in illas illatae sunt. (Cf. H. D. Mueller, Mythologie der griech. Staemme, II. p. 91.)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Interpretatio personarum, quae in fabulis ignotae sunt, saepe ab iis pendet, quarum jam cognita est natura. Jam quum Apollinem-Admetum solem aestivum, Herculem solem vernum significare probasse nobis videamur, si meminimus, veteres Graecos, ut homines Asiatici, tria anni tempora numerare, dubium non est, quin Alcestis, quam adhuc silentio praeteriimus, ad solem hibernum referenda sit. Hae quidem tres solis species modo in unam coalescunt, modo ita inter se discedunt, ut unaquaeque per se existere statuatur. Quae quum ita sint, fabulae de qua quaeritur interpretatio haec est: Asperiore anni tempore appropinquante Apollini-Admeto moriendum est, sed ipse per se non moritur, nam sol, qui morti sese offert, est sol hibernus, cujus personam Alcestis suscipit. Qui quidem sol quum ad infimum eclipticae viae locum descendat, ad inferos descendere putatur, sed apud inferos non remanet, siquidem Hercules, qui est sol vernus, denuo emergit atque ascendit, quare eam reducere fingitur. Sic transitionem aestatis in hiemem reditumque veris sub personarum specie latere perspicuum est.

Quo magis hac fabula processum certis temporibus redeuntem significari probemus, locum hypothesis, quae Euripidis tragoediae praemittitur, in medium proferamus, ubi Apollo in gratiam Admeti veniam vicarii sistendi eo consilio petiisse dicitur, *ἵνα ἴσον τῷ προτέρῳ χρόνῳ ζήσῃ*, id quod non est, ut morte liberatus, vicario interposito, diutius etiam vivat, sed ut idem temporis spatium transigat, quod jam exegit, quo loco non potest quidquam clarius processum certo tempore redeuntem demonstrare. Servitii *ἐνιαυτὸς* qui dicitur, quem *μέγαν ἐνιαυτὸν* in aliis quoque fabulis invenimus, necesse non est ad certum annorum numerum, sed ad temporis spatium quod summatim nominatur referri. (H. D. Mueller, l. l. I. p. 183.) Atque nisi omnia me fallunt, apud Euripidem in ipsa tragoedia locus est, ex quo apparere videtur, poetam quae esset vera fabulae vis, mente divinasse. Pheres enim, Admeti pater, filio exprobrat (Alc. v. 699 sqq.):

*σοφῶς δ' ἐφεῦρες ὥςτε μὴ θανεῖν ποτε,*
*εἰ τὴν παροῦσαν κατθανεῖν πείσεις ἀεὶ*)*
*γυναῖχ' ὑπὲρ σοῦ*

„sapienter", inquit, „viam invenisti, ne unquam moriaris, si uxori, quam suo quoque tempore habebis, persuadebis, ut pro te moriatur." Quibus verbis Pheres quidem opinionem praebet, ut de posterioribus Admeti uxoribus loquatur, ita ut dicat: Admetus rationem quam secutus nunquam morietur, invenit (reapse sol nunquam moritur), quotiescunque suam quoque tempore uxorem sistit (nam sol hibernus ejus locum suscipit).

Ac ne cui mirum videatur, in hac fabula solem, cujus personam Alcestis gerit, esse nomen muliebre, monendum est, eandem naturam divinam, quatenus inferior atque infirmior ejus vis insignitur, muliebre genus exhibere, id quod de luna soli opposita sic dici inter omnes constat. Sed huc infra revertemur.

---

*) Haec est vera lectio a Klotzio quoque recepta, ex qua altera *πείσειας ἂν* orta videtur, quia verba *τὴν ἀεὶ γυναῖκα* difficultatem praebebant.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quum igitur universa fabula solaris sit, facile intelligitur, quid sit adjungere currui leonem et aprum. Leo enim in circulo Zodiaco aestatem, aper rigidam sterilemque hiemem significat (Creuzer, Symbol. II. p. 104. I. p. 325), unde sequitur, currum illum esse solarem in ejusque cursu duo anni tempora primaria imprimis notari, quum Hercules, qui illos jugo alligare dicitur, primum anni tempus significet.

Supra exposuimus, quia Alcestis in nuptiis celebrandis Dianae et Parcis (ταῖς Μοίραις) sacra facere oblita esset, ejus cubiculum serpentibus (draconibus) repletum esse, qui quum in fabulis semper haud dubie ad inferos pertineant (H. D. Mueller, l. l. II. p. 47), jam ad explicandam notionem quam habeat adjectivum χθόνιος pervenimus. Ac Prellerus quidem (Jahrb. f. Phil. u. Paed. 1859. H. 3. p. 181), quae est usitata atque recepta sententia, θεοὺς χθονίους eos existimat, qui ad profunda terrarum, quo inferi quoque ipsi referuntur, spectant, quos quum frugiferos deos agriculturae atque frugum e terra nascentium, tum formidolosa numina mortis et defunctorum esse vult, quae in profundo terrarum vel apud inferos, ergo apud ipsos deos inferos versantur. Hanc Prelleri sententiam impugnat H. D. Muellerus (l. l. II, p. 36 sqq.), negans in adjectivo χθόνιος fertilitatis notionem inesse eamque ita intelligens, ut vim mortis quum in rerum natura universa tum in genere humano declarari doceat. Huc accedit, quod situm inferorum, quo omnia ad interitum rapiuntur, πρὸς Ζόφον, occidentem versus, esse dicit, ubi nox sedem habere traditur, id quod vel ex Ulixis itinere ad inferos suscepto apparet (Mueller, l. l. p. 43). Ac nobis quidem utraque notio retinenda videtur, ita tamen, ut prior sit vis illa perniciosa, omnia quae a natura procreata sunt, abripiens, altera autem, quum Pluto, Proserpina, Ceres (Δημήτηρ) interiore vinculo inter se cohaereant, si non a principio repetita, at certe postea addita, ad terrae fertilitatem spectet. Sed quaerentibus nobis, qui dii χθόνιοι habendi sint, qui non sint, certum atque subtile discrimen statui non posse apparebit, quandoquidem Pluto et Proserpina sane quidem dii χθόνιοι praecipue coluntur atque diis Olympicis (τοῖς οὐρανίοις) opponuntur, ceterum vero etiam in numero deorum superorum non desunt, quorum in natura, quae universa est οὐρανία, vis aliqua insit, quae ad inferos vel ad θεοὺς χθονίους pertineat. Sic non solum Mercurius (Ἑρμῆς ψυχοπομπὸς) propter animarum comitatum, Bacchus (Διόνυσος Ζαγρεὺς), verum etiam Jupiter ipse, qui κατ' ἐξοχὴν Olympius dicitur, inter deos χθονίους referendi sunt (Welcker l. l. II, p. 441—443; p. 630; p. 486—488; Preller, l. l. I, p. 253; p. 329; I., p. 499; p. 660; I. p. 494; p. 656; H. D. Mueller, l. l. II. p. 45), ita ut in antiquissimis Graecorum fabulis confusio quaedam atque communicatio naturae et deorum superorum et inferorum haud dubie constiterit. Hanc speciem in fabula, de qua hoc loco agitur, Alcestis quoque prae se fert, quae quum Sol per se ipse in numero deorum superorum sit, quatenus vim ejus debilitatam annumque ad hiemem vergentem significat atque ad Orcum deducitur, infera (χθονία) habenda est.

Sed haud alienum a re fore arbitror nonnullas similes fabulas afferre, quo magis quum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

interpretationem nostram recte se habere, tum inferam in Alcestidis persona inesse notionem sub oculos cadat. Transitio autem naturae superae in inferam diversis formis, vel catenis deo capto injectis vel ademta virilitate dei vel laceratione vel corporis mutatione proponitur, quare cujusque generis exempla ita proferemus, ut summam tantum rerum tetigisse satis habeamus.

De Saturni (Κρόνου) fabula ejusque cum Jove certamine non solum Hesiodus in theogonia, sed is passim, verum etiam ac magis perspicue Apollodorus tradit (I, 1). Saturnus oraculo monitus fore, ut a filio regno expellatur, periculum sibi instans filio recens nato devorando prohibere decrevit. Sed Rhea conjux deo decepto lapidem fasciis involutum devorandum proponit, filium autem, cui postea Jovis nomen datum est, in spelunca nutriendum educandumque curat. Sed deus juvenis postquam ad pubertatem pervenit, a Centimanis adjutus, patrem vincit victumque, postquam ut lapidem devoratum evomat coegit, ad Orcum (Τάρταρα) detrudit et vinctum Centimanis custodiendum tradit. Jam vero H. D. Muellerus Saturnum (Κρόνον), quem Apollodorus vinctum ἐν τόπῳ ἐρεβώδει ἐν ᾅδου sedentem facit et Hesiodus (Theog. v. 622, v. 669) apud inferos versari dicit, quum ex hoc quem tenet loco, tum e natura atque nominibus Centimanorum (τῶν Ἑκατογχείρων) non solum deum χθόνιον, verum ipsum regionum inferarum regem ac dominum esse colligit. Huc accedit, quod quum ei falx (ἅρπη, δρέπανον) tribuatur atque nomen ejus (κείρειν) ad messem spectet, quo nomine perniciosa delendi vis et sterile anni tempus (θέρος καὶ χειμῶν) indicatur, perspicuum est, fabulae sententiam eo redire, ut sterile anni tempus de fertilitate victoriam reportare dicatur, dum haec (Ζεὺς) ad novam maturitatem provecta superior fiat (patrem vinctum ad Orcum demittat). Plura de hac interpretatione vide apud Muellerum (II. p. 124 sqq.).

Apollodorus (I, 9, 12) Melampodis vatis fabulam tradit, sed tanta obscuritate, ut, quae Heynius ad hunc locum explicavit, quaeque H. D. Muellerus (l. l. I, p. 176, cum not. I) attulit, ad eam supplendam pertineant. Quum Neleus Peronem filiam ei in matrimonium se daturum dixisset, qui sibi Jphicli boves ex Phylace attulisset, Bias, qui eam petebat, a Melampode fratre impetravit, ut is suo loco hoc munere fungeretur, etsi vates non ignorabat, se in furto deprehensum anno demum transacto bubus potiturum esse. Deprehensus atque in vincula conjectus ex tarmitibus, domum, in qua custodiretur, brevi collapsuram esse audivit et ab Jphiclo petiit, ut se in alteram domum traduceret. Quo facto, quum illa corruisset, vates optimus repertus, ubi Phylaco, qui aliquando cultro conjecto Jphicli filii pudenda trajecerat, quo modo is sanari atque liberos procreare posset, vaticinatus est, cum bubus dimittitur. Jn hac fabula Muellerus omnia marium personarum nomina ad Orcum (Ἅιδην) spectare docet, siquidem Ἀμυθάων (μῦθος), Biantis pater, quum eum significet qui non loquitur, ad silentium inferorum proprium, eodem modo pertinet, quo Phylacus custos ejusque filius Jphiclus (ἴφθιμος Ἅιδης). Sed locus quoque, ubi Melampus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in custodia tenetur (Φυλάκη), praesertim quum aditus ad eum nemini patere et canis, qui est Cerberus quidam, custodiam habere dicatur, pro inferis habendus est, quo Melampus, cujus nominis vis eodem redit, sese confert. Ademtae autem virilitatis et custodiae tempus idem annuum spatium (τὸν μέγαν ἐνιαυτὸν) complectitur. Sic efficitur sententia: Jncipit sterile anni tempus (quod sub specie et custodiae et ademtae virilitatis latet), sed vere novo fertilitas anni renascitur (Jphiclo vis gignendi redditur). Mueller, l. l. I, p. 161 sqq.

Actaeon, Autonoes et Aristaei filius, a Chirone educatus et ad artem venandi institutus, in Cithaerone monte ab ipsius canibus laceratus esse dicitur, ut alii tradunt, Jove irascente, quod Semelen uxorem petiisset, ut plerique narrant, quod Dianam in aquis corpus lavantem vidisset, deamque dicunt ejus formam in cervam mutasse et quinquaginta canibus furorem injecisse, ita ut ignari, dominum illum esse, eum devorarent. Jnteremto autem Actaeone canes ululantes dominum quaesivisse atque ad Chironis speluncam pervenisse, qui Actaeonis simulacrum fabricatus eorum insaniam sedasset (Apoll. III, 4, 4). Actaeon, cur laceratus sit, in diversas partes abeunt scriptores (Jacobi l. l. s. v.), plerique autem in eo consentiunt, quod Dianam ab eo violatam esse tradunt, sive quod eam nudam vidisset, sive quod arte venatoria se ei praestare gloriatus esset, sive quod carne ferina sacris Dianae devota in coenam nuptialem esset abusus.

Ac de quinquaginta canibus, quorum nomina apud scriptores differunt (Ovid. Met. III. v. 206 sqq.; Hygin. F. 181) omnes ita conveniunt, ut eos ad ardorem caniculae in coelo regnantis referant; sed de reliqua fabula explicanda interpretes discrepant. Ac nos quidem, quum eorum sententiae ab H. D. Muellero jure rejectae esse videantur (l. l. II. p. 110 sqq.), ad nostram a Muellero quodammodo differentem accedimus.

Quamquam haec fabula, quia Actaeon in Cithaerone monte laceratus esse dicitur, Boeotiae propria videtur, quum Achaeorum migrationibus cultus Jovis Achaei eo delatus esset, tamen commemoratio Chironis ejusque speluncae rem ad Pelionem mortem referendam esse ostendit. Actaeon autem heros a Jove Actaeo ita separatus est, ut per se numen divinum habendum sit, qua in re summi momenti est, quod cum Diana ei ratio esse traditur, quae quum cum luna cohaereat, Actaeonem esse numen solare apparet. Jnter solem autem et lunam veteres diversam rationem intercedere voluerunt, quare vel fratris et sororis locum tenere, vel una sedem in coelo habere (σύνθακοι) vel venationem exercere (συγκύναγοι, Eurip. Hippol. v. 1093) putabantur. Jn Diana et lunae et venationis notionem inter se confundi constat (Jacobi s. v Selene, p. 807), quare hoc loco Actaeonem et venatorem et solem, Dianam et lunam et deam venatricem inter se opponi videmus, neque in fabulis aptius quidquam fingi potuit, quam ut Actaeon aut venatoria superbia aut violata deae castitate ejus iram irritasse dicatur. Jam vero Actaeon, dum venator est, vim solis maturantem atque opportunum anni tempus, postquam a canibus laceratus est, vim solis debilitatam atque annum ad finem vergentem haud dubie significat. Heros autem mutatur in cervam, quae bestia inermis ac timida (ἄναλκις apud Hom.) maxime opposita est venatori, qui

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eam antea persecutus erat, quo magis solis debilitatio indicetur. Quod vero canes cognito errore ad Chironem pervenire isque simulacrum Actaeonis fabricatus furorem eorum sanasse dicitur, ad annum veris tempore resurgentem spectat, nam simulacrum solis eodem modo ipse sol est, quo in Saturni fabula lapis quem Saturnus evomit ipse juvenis Jupiter est (H. D. Mueller, l. l. II. p. 138). Similiter Muellerus rem explicat, eo tantum discrimine, ut non cervum, sed Actaeonem venatorem ad inferos deos (χθονίους) referat, quam difficultatem quum ipse sentiat, quomodo removere studeat, apud ipsum vide (l. l. II. p. 117).*)

Denique de Lycaone pauca monenda videntur, cujus de scelere atque poena etsi in diversissimas partes abeunt scriptores, tamen in summa rei ita inter se consentiunt, ut omnes Lycaonem, Arcadiae regem, puerum vel alienum vel, id quod veri similius est, suum mactasse mactatumque Jovi edendum proposuisse ideoque ab irato deo in lupum mutatum esse tradant. Respicientibus nobis lupi naturam apparet, ejus edacitatem ad anni tempus et hominibus et gregibus perniciosissimum referendam esse, quo omnia, quae e terra procreata sunt, exstinguuntur. Quemadmodum Actaeon cum Jove Actaeo cohaeret idemque ab eo sejunctus est, sic Lycaon cum Jove Lycaeo conjunctus idemque ab eo divulsus per se numinis divini naturam induit. Est sol, cujus vis debilitata imagine lupi proponitur, qua mutatione infera ejus natura indicatur. Haec est origo λυκανθρωπίας apud Graecos (H. D. Mueller, l. l. II. p. 89 sqq.)

Jam ad Admetum et Alcestin redeamus. Comparantibus nobis, quomodo in quatuor

---

*) Actaeonis fabula ad diurnum quoque solis cursum referri potest, ut Hippolytus (cf. Most, de Hippolyto, Thesei filio, Marburg 1840). Sic Actaeonis laceratio atque mutatio ad vesperum, ubi Dianam, quae est luna in undis maris refulgens, videre potuit, ejus simulacrum ad novum solis ortum spectat. Actaeonis nomen a verbo ἄγνυμι ducendum puto, unde ἀκτή, litus maris, eumque praecipue solem litoralem significare existimo. Sed hac occasione data de simili Endymionis fabula pauca afferre nobis liceat, quem in Latmo, monte Cariae, dormire et dormientem a Luna dea (Σελήνῃ) adiri constat. Atque Welckerum (l. l. I. p. 557—560) Endymionem lunam occidentem significare velle miror, cui interpretationi vel id obstare videtur, quod in fabulis Graecis luna nusquam marem personam induit. Equidem Endymionem (ἐνδύω) quum jam antea ad solis occasum lunaeque ortum retulerim, nunc eandem esse Max. Muelleri sententiam video (Essays. II, p. 72—73): „Da man die urspruengliche Bedeutung von Edymion vergessen hatte, so erzaehlte man nun, was man urspruenglich von der untergehenden Sonne erzaehlt hatte, von einem Namen, der, um irgend eine Bedeutung zu haben, in einen Gott oder Halbgott verwandelt werden musste. Die untergehende Sonne (Endymion) schlief in der latmischen Höhle, der Nacht — Latmos kommt naemlich von derselben Wurzel wie Leto, Latona, die Nacht — nun aber schlaeft er auf dem Berge Latmos in Karien.“ Jn der alten spruechwörtlichen Sprache von Elis sagte man: „Selene liebt und wacht über Endymion“, anstatt: „es wird dunkel.“ „Selene umarmt Endymion“, anstatt: „die Sonne geht unter und der Mond geht auf“, „Selene kuesst Endymion in den Schlaf“, anstatt: „es ist Nacht.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

his fabulis, quas exposuimus, mutatio numinis superi in inferum (χθόνιον) proponatur, apparet, in Admeti fabula vim atque notionem numinis χθονίου sub lenissima forma ante oculos poni. Neque enim de ulla ratione violenta, qua vis solis valida in debilitatam convertitur, agitur, sed simpliciter, pro sole aestivo ejus uxor, utpote quae sit viribus inferior, substituitur, nec tamen ita, ut Alcestis hoc facere cogatur, sed ut libero ac sincero Admeti amore ad Orcum descendat, qua ex re infera ejus natura elucet.

Si quis quaerit, qui fiat, ut, quum in fabulis expositis de uno sole agatur, plures semper personae proferantur, monendum videtur, naturam aliquam divinam, ubi aut rei gerendae aut status cujusdam subeundi partes suscipit, ideo pluribus egere personis, ut scenica quaedam rerum actio atque expositio exsistat.*) Sic in hac quoque fabula, quum omnes, de quibus supra egimus, fabularum compositionis aetates percurrerit, res ita instituitur, ut, quae antea in coelo atque in universa rerum natura observata fuerunt, jam certarum personarum speciem prae se ferant, quae quum certis regionibus adscribantur, reliquum erat, ut mutua causarum ratio, quarum altera ab altera pendere fingitur, cursum absolveret et historiam rerum vere gestarum proponeret.

Haec quam exposuimus fabulae interpretatio nonnullas similitudines cum Jndorum et Aegyptiorum ratione de rebus divinis cogitandi praebet. Nam quod numen solare unum idemque triplex cogitatur, id proxime accedit ad similitudinem ejus formae, quae apud Jndos Trimurti vocatur, itemque ad Aegyptiorum opinionem, qua Amun, Kneph, Phtha inter se conferuntur, in quibus ipsis notiones solares inesse constat (Leo, Universalgeschichte, I. p. 59, p. 77 edit. 1; Gerhard, l. l. II, myth. Parall. S. 3). Sic Apollo-Admetus Osiridi, Alcestis Serapidi respondere videntur (Leo, l. l. I. p. 76; Nitsch, l. l. II. p. 382; Gerhard l. l. II, myth. Parall. D.). Quemadmodum enim is, qui sol hibernus habetur, ad inferos descendit, sic Alcestis ad Orcum defertur, unde apparet, eam cum cultu deorum qui χθόνιοι

---

*) „Das Wesen einer Gottheit stellt sich der mythischen Anschauung nicht als ein Jnbegriff gewisser Eigenschaften dar, sondern als eine Reihe von Thaetigkeiten und Zustaenden, durch welche die Gottheit hindurch gehen muss. Der religioese Mythus hat die Aufgabe, dieselben zu einer Art dramatischer Entwickelung zu bringen. Schon dieser Umstand macht dem Mythus eine Mehrheit von Personen zum Beduerfniss, das sich noch steigert, wenn jene Thaetigkeiten einander entgegengesetzt oder doch so beschaffen sind, dass sie sich nicht gut in einer Person vereinigt denken lassen. Daraus folgt der für die Deutung religioeser Mythen äusserst wichtige Satz: Für jede besondere Thaetigkeit, für jeden besonderen Zustand der Gottheit, deren Wesen und Eigenschaften der Mythus darstellen will, wird eine besondere Person gewissermassen als formales Subject aufgestellt. Diese verschiedenen Personen sind also nur die Vertreter der Gottheit selbst, in deren verschiedenen Thaetigkeiten und Zustaenden, und darum bei der Deutung wiederum in eine einzige Person zusammenzufassen.“ H. D. Mueller, l. l. I. p. 178.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dicuntur cohaerere, qui imprimis Pheris celebrari solebat. Jure C. Ot. Muellerus Clymenen, Admeti matrem, Proserpinam (Περσεφόνην) esse censet, sed in eo fallitur, quod Admetum ipsum Plutonem (Ἀϊδωνέα) dicit. Sed quae ratio atque necessitudo inter regiones superas ac inferas apud Pheraeos intercedat, ex fabulis, quae ad regiam eorum stirpem pertinent et cum fabulis Jolci oppidi arctissime cohaerent, elucere videtur (Mueller, Orchom. p. 256; Gerhard, l. l. II, Gen. Anh. p. 223, p. 224).

Cretheus enim, qui oppidum condidit, uxorem duxit Tyronem, ex qua Aeson et Pheres nati sunt. Hic cum Clymene (Periclymene) matrimonio conjunctus Pheras oppidum condidit et Admetum genuit. Quibus in nominibus interpretandis ad verborum origines animum intendamus. Cretheus enim ad vetustissimum adverbium κρῆθεν (Hesiod. Scut. v. 7) referendum est, cujus radix est ΚΡΑΣ (caput), atque Cretheus dictus est, primum ut sit generis auctor (ἀρχηγέτης), quandoquidem heroes certas personas historiae fide quasi probatas gerere solent, ut Actaeon Aristaei filius esse dicitur (H. D. Mueller, l. l. II, p. 112), deinde significat eum qui superne vel ex superis regionibus rem gerit, quare fortasse divina ejus origo indicatur. Tyro, ejus uxor, cujus nomen a verbo ΤΥΡΩ (turgeo) ducendum est, his in fabulis, id quod saepe in similibus fit, vim seminis concipiendi atque pariendi indicat, neque a vero abhorret statuere, in hac regum stirpe vestigia infuisse, quae ad originem omnium rerum pertinerent, cujus quidem imago non omnibus partibus absoluta, sed paucis lineamentis adumbrata his praecipue regionibus propria erat. Hujusmodi de rerum origine opiniones principio multis regionibus adhaerebant, sed postea quum Homeri et Hesiodi auctoritate deorum Olympicorum ratio atque cultus magis magisque diffunderetur atque propagaretur, in singulorum locorum cultum tamquam in tenebras recesserunt. Sic Cretheus Jovi respondere et deus aether sive Coelus esse (Cic. de nat. III, 21), Tyro autem Dionae videtur respondere. Dionem enim constat esse materiam a Jove subactam ab eoque concipientem, ex qua omnia partu eduntur (Wehrmann, das Wesen und Wirken des Hermes. Erster Theil. Magdeburg 1849, p. 22; Gerhard, l. l. §. 138, 1; §. 358, 4).

Ac Pheretem, quum uxor ejus sit Clymene sive Periclymene, Orcum (Ἅιδην) esse patet, qui non minus quam dii superi fruges e terra provenientes largiri putabatur, atque imprimis metallorum opes in profundis terrarum absconditae ad eum referendae sunt. Quodsi Admetus, numen solare, ejus filius dicitur, eodem jure fit, quo Apollo filius Vulcani nominatur (Cic. de nat. d. III, 22), quandoquidem ignis et coelestis et subterraneus ad rerum naturam creandam atque conformandam plurimum valuisse existimabatur. Alcestis autem, quum, quippe sol hibernus, ad inferos descendit, ubi, velut Proserpina, per hiemis tempus moratur, Hecates quodammodo speciem induit, quae Brimo dicebatur atque Pheris imprimis colebatur (Lobeck, Aglaoph. p. 1213), quo serpentes (dracones) in ejus cubiculo repertos haud dubie spectare supra monuimus, qui quum Hecaten semper comitentur, Alcestin



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quoque deorum χθονίων numero adjungunt. Ubicunque autem in fabulis ratio quaedam inter regiones superas atque inferas intercedere dicitur, ibi antiquissimarum de diis opinionum fundamenta subesse pro certo habendum est, quae Apollinem deum lucis eundemque mortis esse volunt, id quod vel greges solares qui dicuntur haud obscure ostendunt (Gerhard, l. l. I. §. 310, 10, c.).

Similes rationes et opiniones, quales fabulae Pheraeae memoriae produnt, Jolcus praebet, quae interiore necessitudine inter se conjunctae sunt, siquidem ex hoc oppido Alcestis originem traxit. Ac pater ejus Pelias est, cujus nomen alii ad vocabulum πηλὸς (limus), alii ad verbum πελιάω (πολιὸς) ideoque ad caeruleum maris colorem referunt, quia Neptunus ejus pater putatur; sed Cretheus et ipse ejus pater perhibetur, mater autem uno consensu Tyro existimatur. Equidem Peliae nomen a verbo πέλω, πέλομαι, ducendum puto, ut sit sol vel annus qui ad finem vertitur, nam eum quoque numen χθόνιον esse constat (Gerhard, l. l. II. §. 686, 3). Sic Aesonem, solem lucidum atque aestivum, vel e regno expellere, vel necare, vel ad caedem compellere dicitur (Apoll. I, 9, 27; Diod. IV, 50). De Aesonis numine solari vide apud Gerhardum (l. l. II, § 673, 2, b, Αἴσων). Fabulae igitur vis eadem est quae in omnibus hujusmodi fabulis: Sol aestivus cedit soli hiberno. Neque reliquae fabulae, quae ad Aesonem et Peliam spectant, ab hac interpretatione abhorrent (Nitsch, l. l. s. v. Pelias; Ovid. Met. VII, 163 sqq.). Aeson, quum senio confectus contabescat, Medeae herbis regenerari traditur, quum Pelias, in quo ejus filiae idem regenerandi experimentum faciunt, moriatur, quae fabula nihil aliud sibi vult, nisi ut annum veterem atque debilitatum vere ineunte nova vi vitali resurgere doceat, quum contra annus exactus per se renasci non possit, sed (sub Peliae persona) intereat. Vernus autem sol hoc loco sub Jasonis persona latet, cujus nomen, sive, quae est recepta interpretatio, a verbo ἰάομαι (sanare), sive a verbo ἴω (εἶμι) ducitur, eandem vim ac notionem praebet, quum sit vel ver, aegrotantem quasi annum sanans, vel peregrinator, qui coelum perlustrat, quomodo Jo eam significat, quae nocturno tempore coelum percurrit (H. D. Mueller, l. l. II. p. 350 sqq.). Hic Jason eo tempore, quo terra limo obducta est, alterum calceum amittere dicitur; verno tempore navi illa lucida quae est Argo (ἀργός, albus, candidus) expeditionem, quae inde nomen traxit, suscipit (Gerh. l. l. II. §. 686, 3. c.).

Quae quum ita sint, quoniam non solum haec fabula, et quae cum ea cohaerent, sed multae aliae ad solem et numina lucis pertinent, facile intelligitur, quomodo Macrobius (Satur. I, 23) in eam opinionem inductus sit, ut fere omnes deos soles esse existimare videatur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf